



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ivlii Cæsaris|| Scaligeri|| Epistolæ|| &|| Orationes||**

**Scaliger, Julius Caesar**

**Lugduni Batavorum, 1600**

Illustriſſimo eruditiſſimo viro Domino Ivlio Cæsari Scaligero. LXXI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)



*Illustrissimo & eruditissimo viro Domino*  
**IVLIO CÆSARI SCALIGERO**  
 L X X I.

**T**vis literis nihil gratius, nihil suavius,  
 nihil iucundius: quibus præterquam  
 quod libellum tibi meum perplacere rescri-  
 bis, meam erga te voluntatem probas: &  
 par mihi studium & propensionem animi  
 polliceris. Qua in parte sicuti meritorum  
 longe superior existis, perpetuoque exti-  
 turus es: tu, inquam, tantis diuinis ornatus  
 muneribus, quanta vix optari posse viden-  
 tur: ita non committam, vt amore & be-  
 neuolentia vlllo me tempore vincas. De  
 me itaque illud tibi persuadeas velim, nihil  
 esse quod tua tuorumque causa, vel vitæ  
 periculo non sim factururus. nec vlllo abs te  
 maiore possum affici beneficio, quam si  
 occasionem aliquam mihi obtuleris, ope-  
 rari, sollicitudinemque meam in tuis  
 tuorumque commodis in hac vrbe ponen-  
 di. Hunc enim animum cum ego illustri  
 tuæ nobilitati, & eximia virtuti debeo, tum  
 ipsi præcipue amori, quo iam tibi in perpe-  
 tuum sum deuinctus. Neq. aliud a te nunc  
 requiro, nisi ne tanto studiorum ardore, ani-  
 mum tuum occupari sinas, vt interim vale-  
 tudinem



rudinem tuam minus probe cures. Quæ scilicet amissa, vberissimi fructus industriæ, iudicii, summique ingenii tui in discrimen venient. Ego sane Deum opt. Max. assiduo obtestor, vt te in optimo statu diutissime valere iubeat. Equidem nos hic perbelle valeremus, nisi pestis, quæ aliquot menses refrixisse videbatur, nunc grauius, quam ante, recrudesceret. Plura per forenses occupationes scribere nõ licet. & hæc raptim. sed ignosces, & me amabis. Tolosæ vi. Non. Iulii.

*Singulari virtuti tuæ addictissimus*

IOANNES CORASIVS.

SCALIGER ATTICO

S. LXXII.

**H**ÆC bona foemina, quæ tibi omnium reliquiarum fortunæ suæ vindici etiam vitam debere profitetur, quotidie clamat apud me, neque meum, neque alius cuiuspiam animum tibi magis deuinctum atque obstrictum esse. Quæ equidem verba cum audio, sane vero in tantis ac tam variis, quæ me vndique obsident, miseris etiam lætari audeo, quod doctissimus nostri sæculi vir,

P 5

atque